



BOLETÍN ECLESIAÍSTICO

DEL

OBISPADO DE SALAMANCA

SUMARIO

ACTA SANCTAE SEDIS.—I. *Decretos de la S. Congreg. de Ritos: a) Sobre la beatificación del P. Claret. b) Extendiendo á la Iglesia universal la fiesta del V. Beda. c) Publicando una adición al rezo de la Basílica del Salvador.*—II. *Instructio S. Cong. Concilii ad probandum obitum alicujus conjugis.*—III. *Decreto de la S. Cong. de Indulgencias, dando reglas para conocer las verdaderas indulgencias y distinguir las de la apócrifas.*—IV. *Declaraciones de la S. R. U. Inquisición: a) Circa renovationem consensus, ad hoc ut, sublato impedimento, matrimonium convalidetur. b) De facultate sacerdotem a reservatis R. P. absolvendi.*—V. *Declaraciones de la S. Penitenciaria Apostólica. a) Sobre suspensión, con motivo del Jubileo, de las facultades concedidas á los Ordinarios y Confesores pro foro interno. b) Id. id. de las concedidas á los Obispos y Ordinarios pro foro externo.*—VI. *Collatio moralis et de re liturgica pro mense Februarii.*—VII. *Hermandad de Sufragios espirituales del clero.*—VIII. *Necrología.*

ACTA SANCTAE SEDIS

DECRETUM

VICEN.

A).—*Beatificationis et canonizationis ven. servi dei Antonii Mariae Claret Archiepiscopi S. Jacobi de Cuba deinde Trajanopolitani, Fundatoris Congregationis missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V.*

Inter hispanos ecclesiae praesules qui Oecumenico Concilio Vaticano interfuerunt, vir opere, sermone et sanctimoniae

fama clarus exhibetur Dei Famulus Antonius Maria Claret, Archiepiscopus Trajanopolitanus et fundator Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. In oppido *Salent*, dioecesis Vicensis, die 24 Decembris anno 1807 ex parentibus magis virtute quam censu praeditis ortus, in templo paroeciali sacro baptismo ablutus est. Optima disciplina institutus et sacramento confirmationis jam roboratus, decennis ad sacram synasim primum accessit. Studio cathichismi ac piis lectionibus incumbens, etiam pueros in his erudiebat et ad devotionem, quam ipse fovebat, erga Ssmum. Eucharistiae Sacramentum et Deiparam Virginem studiose excitabat. Ad sacra ministeria vocatus et vix latinae linguae rudimentis imbutus, anno 1825 praeceptorem per obitum amisit. Inde, a patre Barcinonem missus artem textoriam speciali industria et peritia didicit. Morem gerens genitorissuae etiam vocationi consulebat, artem exercens et studiis vacans. Interim vitae periculum passus, et, auxiliante Beatissima Virgine, incolumis servatus, perfectioris status ingrediendi consilium aperuit patri, quo annuente, annum aetatis vigesimum secundum agens, Barcinone relicta, Vicum se contulit, ubi inter Seminarii alumnos cooptatus litteris sacrisque disciplinis decem annos impendit. Per diversos ordinum gradus ascensus, die 13 Junii anno 1835 sacerdotio ornatus est, et in Festo S. Aloisii Gonzagae primum sacrum devotissime litavit. Sacerdotis et oeconomi parochi muneribus in patrio oppido *Salent* egregia functus, Catalauniam Provinciam atque insulas Canarias sacris expeditionibus peragrandas suscepit, studio jugiter incensus animarum salutis provehendae. Anno 1849 Vici Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. Congregationem, de religiosa et civili societate benemerentem, instituit; quae deinceps ab Apostolica Sede approbata in Hispania atque in aliis nationibus propagata est. Verum paulo post Dei Famulus Romani Pontificis voluntati parens, die 6 Octobris anno 1850 Archiepiscopus S. Jacobi de Cuba consecratus est. Adhibita opera tredecim Sacerdotum et duodecim Sororum S. Vicentii de Paulo quos secum addu-

xerat, insulam illam excolere satagit. Quum pastorali regimini nuncium dare excogitaret, a Regina confessionibus audiendis electus in Hispaniam revertitur, a qua tamen ex Summi Pontificis mandato cubanam ecclesiam regere pergit, donec die 13 Julii anno 1860, in locum Servi Dei, alio Archiepiscopo Cubano suffecto, Antonius Archiepiscopus tit. Trajanopolitanus renunciatur. Muneri sibi delato ita satisfacit ut ipsa aula regia et Matritensis civitas ejus benefacta expertae sint. Devotionem erga Ecclesiam et Apostolicam Sedem pluries ostendit Famulus Dei, praesertim in Sessionibus Oecumenici Concilii Vaticani. Tandem Roma Fontem Frigidum profectus, ibi post duos menses nervorum tremore correptus est, atque, ingravescente morbo, per manus Superioris Generalis suae congregationis P. Josephi Xife Sanctissimo Viatico refectus, die 24 octobris anno 1870 obdormivit in Domino. Interim quum ex tabulis processualibus ordinariis exhibitis constare videretur tum de concursu cleri et populi ad funus et sepulcrum Servi Dei, qui in templo Vicensi suae Congregationis quiescit, tum de fama sanctitatis, virtutum et miraculorum, in vita et post obitum, magis in dies crebrescente, ad instantiam Rmi. P. Hieronymi Batlló Procuratoris Generalis praedictae Congregationis Missionariorum et hujusce Causae Postulatoris, attentisque litteris postulatoriis aliquorum Emmorum. S. R. E. Cardinalium et plurium Rmorum. Sacrorum Antistitum, necnon Capitulorum, Ordinum, Congregationum ac Piarum Communitatum utriusque sexus una cum privatis personis ecclesiastica vel civili dignitate praestantibus, Emus et Rmus. Dñus Cardinalis Miecislau Ledochowski eiusdem Causae Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit. *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Joanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: "*Affirmative, seu signadam*

esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit., Die 28 Novembris 1899.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praefati Ven. Servi Dei Antonii Mariae Claret, Archiepiscopi Trajanopolitani, die quarta Decembris eodem anno.—C. EP. PRAENESTINUS CARD. MAZZELLA S. R. C. Praefectus.—DIO. MEDES PANICI, S. R. C. Secretarius.

B).—Decreto de la Sagrada Congregación de Ritos extendiendo á la Iglesia universal la fiesta del V. Beda.

Quo Sancti Bedae Venerabilis, tot illustrium scriptorum et summorum Pontificum praeconiis cendecorati, honor et cultus augeatur, complures sacrorum Antistites praesertim ex Anglia, supplicibus ad Pium Papam IX fel. rec. litteris, et nuperrime iteratis precibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII porrectis, enixe postularunt, ut dies festus hujus sancti ac praeclari Confessoris in toto Catholico orbe agi valeat cum Officio et Missa propria Ecclesiae Doctoris, prouti aliquibus locis atque universis sodalibus Benedictinis et Cisterciensibus jamdiu concessum fuit. Illud etiam Ven. Card. Bellarmini effatum ingenti cum animi gaudio atque spe commemorarunt: *Beda Occidentem, Damascenus Orientem sapientia sua illustravit*; insimul asserentes ea omnia quae juxta Benedictum XIV in Opere de Canonizatione Sanctorum, lib. IV, part. 2, cap. II, n. 13, pro adjudicando titulo Ecclesiae Doctoris necessaria sunt, Sancto Bedae apprime convenisse.

Placuit autem ipsi Sanctissimo Domino Nostro ejusmodi tam gravis negotii examen Sacrorum Rituum Congregationi committere. Quo exquisito, unius doctissimi viri suffragio typis cuso, in Ordinariis Comitibus die II Julii hoc vertente

anno ad Vaticanum habitis, infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto et Relatore, sequens dubium discutiendum atque expendendum suscepit: "An sit extendendum ad universam Ecclesiam festum S. Bedae Venerabilis cum Officio et Missa propria, addita Doctoris qualitate?," Et Sacra eadem Congregatio, omnibus rite perpensis, auditoque R. P. D. Joanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: "Supplicandum Sanctissimo pro extensione Officii et Missae S. Bedae Venerabilis ad Universam Ecclesiam, addita Doctoris qualitate,.". Quam resolutionem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII ab ipso infrascripto Cardinali relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et confirmavit, atque insuper ex ipsius Sacrae Congregationis consulto concedere dignata est, ut Festum S. Bedae Venerabilis cum Officio et Missa propria Confessoris et Ecclesiae Doctoris, prouti haec approbata sunt, die 27 Maji, quae est natalitia, eaque impedita juxta Rubricas, die prima insequente libera ab universa Ecclesia sub ritu duplici minori inde ab anno 1901 in posterum recolatur. Tandem idem Sanctissimus Dominus Noster supradictum Officium cum Missa de S. Beda Venerabili, sub enuntiato ritu in Calendario Universalì et in nobis editionibus Breviarii et Missalis Romani deinceps inseri jussit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 Novembris 1899.—C. Episc. Praenest. CARD. MAZZELLA, S. R. C. Praef.—D. PANICI, S. R. C. Secretarius.

G).—Decreto publicando una adieición al Breviario Romano en la sexta lección de Oficio de la Dedicación de la Basílica del Santísimo Salvador, cuya fiesta se celebra el 9 de Noviembre.

Quod autem Pius nonus perficiendum censuerat, Leo decimus tertius, cellam maximam, vetustate fatiscentem, ingenti molitione producendam laxandamque curavit, vetus musivum, multis jam antea partibus instauratum, ad antiquum exemplar restitui et in novam absidem, opere cultuque magnifico, exornatam transferri, aulam transversam laqueari

et contignatione reffectis expoliri jussit, anno millesimo octingentesimo octogesimo quarto, Sacratio, aede canonicorum perpetuaque ad Baptisterium Constantinianum porticu adjectis.

Concordat cum Originali approbato.

In fidem, etc.

Ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis die 17 Novembris, 1899.—DIOMEDES PANICI, S. R. C. Secretarius.

SAGRADA CONGREGACIÓN DEL CONCILIO

Instructio ad probandum obitum alicujus conjugis

I. Cum de conjugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco quod argumentum a sola ipsius absentia quantumcumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris canonibus minime sufficiens ad istam probationem habetur. Unde Pius VI ad Archiep. Pragensem, 11. Julii 1789 rescripsit solam conjugis absentiam, atque omnimodum ejusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobendam*, ne tum quidem cum edicto regio absens evocatus (idemque porro dicendum est si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit; *quod enim comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potest, quam ejus contumacia*.

II. Hinc ad praescriptum eorumdem sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex registis parociae, vel xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci, in quo, ut supponitur, persona obierit.

III. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit; testes vero duo saltem esse debent, jurati, fide digni, et qui de facto proprio

deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordēs quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae eo magis plurimi faciendum illorum testimonium.

IV. Interdum unus tantum examinandus reperitur, et licet ab jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen, ne conjus alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respicit suprema Congregatio in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis, recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac propterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeunt, hoc tamen certum sit nihil in ejus testimonio reperiri quod non sit congruum atque omnino verosimile.

V. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem conjugis ex aliorum attestazione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel ob aliam quamcumque rationabilem causam, examinari nequeat; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro secutae mortis prudenti indicio.

VI. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod ne unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex conjecturis, praesumptionibus, indiciis et adjunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu proprio vel remotiore nexu cum veritate mortis junguntur, inde prudentis viri judicium ad eandem mortem affirmandam probabilitate maxima seu morali certitudine permori possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul justis justa probatio, id prudenti relinquen-

dum est judiciis arbitrio: hic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores colligi et haberi possint.

VII. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt, quae personam ipsius asserti, defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a conjunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examini requiritur, v. gr.:

An ille, de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultam causam haberet; utrum bona stabilia posideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset. *An* discesserit annuentibus uxore, et conjunctis; quae tunc ejus aetas et valetudo esset. *An* aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque hujus generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adjunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt: *Si ob militiam abierit*, a duce militum requiratur quid de eo sciat, et num alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, etc. *Si negotiationis causa iter susceperit*, inquiratur utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus; utrum in regionem, ad quam se contulit, supervenerint seditiones, bella fames et pestilentiae, etcetera. *Si maritimum iter fuerit aggressus* sedula investigatio fiat, a quo portu discesserit, quinam fuerint itineris socii, quo se contulerit, quod nomen navis quam conscendit, quis ejusdem navis gubernator, an naufragium fecerit, an societas quae navis cautionem forsam pretium solverit, aliaeque circumstantiae si quae sciat, diligenter perpendantur.

VIII. Fama quoque aliis adjuncta adminiculis, argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae, an eam acceperint a majori et saniori parte populi, et an ipsi de

eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse con-
citatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

IX. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit inves-
tigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus ne-
cessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantiis se-
niori ac prudentior consilio aliter censeatur.

X. Haec omnia pro opportunitate casuum haec Congre-
gatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima
agatur; cunctis aequa lance libratis; atque insuper auditis
plurium theologorum et jurisprudentum suffragiis denique
suum iudicium pronuntiat, an de tali obitu satis constet, et
nihil obstat, quominus petenti transitus ad alias nuptias con-
cedi possit.

XI. Ex his omnibus ecclesiastici praesides certam desu-
mere possunt normam, quam in hujusmodi iudiciis sequan-
tur. Quod si, non obstantibus regulis hucusque notatis, res
adhuc incerta et implexa illis videatur, ad S. Sedem recur-
rere debent, actis omnibus cum ipso recursu transmissis,
aut saltem diligenter expositis.

URBIS ET ORBIS

Decretum de regulis seu normis ad dignoscendas veras indulgen- tias ab apocryphis.

Inter cetera quae huic S. Congregationi indulgentiis Sa-
crisque Reliquiis praepositae munera sunt tributa, illud su-
pereminet discernendi nimirum veras Indulgentias ab apo-
cryphis easque proscribendi. Cui quidem muneri satis ipsa
fecit plurimis editis ad haec usque tempora decretis de apo-
cryphis Indulgentiis in authentica Decretorum collectione
contentis. Verum etsi haec S. Congregatio vigilans ab ipso
suae institutionis exordio semper exstiterit quoad indulgen-
tiarum publicationem, ne falsae in Christianum populum irre-
perent, nihilominus, quum hac etiam nostra aetate non de-

sint, qui, vel mala voluntate, aut etiam irrationabili zelo percussi, falsas, vel ut minimum valde suspectas Indulgentias sive orationibus, sive piis exercitiis adnexas propalare inter fideles non vereantur, hinc factum est ut plures Antistites hanc S. Congregationem adiverint, ut de aliquibus Indulgentiis suum iudicium ederet. Id potissimum praestiterunt ea causa permoti ut non solum verae a falsis Indulgentiis discernerentur, sed praesertim ut ecclesiae hostibus via praecluderetur eam calumniandi, et aspernendi coelestem indulgentiarum thesaurum.

Porro S. Congregatio ut huic malo, quoad fieri posset, praesens remedium adhiberet, regulas seu normas quasdam statuere excogitavit, quibus prae oculis habitis nedum locorum Ordinariis, sed et ipsis Christifidelibus facilis aperiretur via ad dignoscendum quodnam sit ferendum iudicium de aliquibus Indulgentiis, quae passim in vulgus eduntur, dubiamque praeseferunt authenticitatis notam.

Hoc vero S. Congregationis propositum SSmo. Dño. Nostro Leoni XIII delatum, eadem Sanctitas Sua illud approbavit jussitque quam primum executioni mandari.

Quare S. Congregatio, adhibito studio Rmorum. Consultorum, Indicem praedictarum regularum elucubrandum curavit; quem deinde in generali Congregatione ad Vaticanum coadunata die 5 Maji 1898 examini Emorum. PP. Cardinalium subjecit. Hi vero postquam praefatum Indicem mature perpenderit, eundem, in aliquibus immutatum, in altera Congregatione denuo expendendum sibi reservarunt.

Quod quidem actum est in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis die 3 Augusti 1899, in quibus Emi. et Rmi. Patres Indicem uti infra proponendum censuerunt:

REGULA I

Authenticae sunt omnes indulgentiae, quae in novissima Collectione a S. Indulgentiarum Congregatione edita continentur.

REGULA II

Indulgentiae generales, quae in supradicta Collectione non exhibentur, vel quae concessae feruntur post editam Collectionem, tunc solummodo habendae erunt ut authenticae, cum earundem concessionis authographum monumentum recognitum fuerit a S. Indulgentiarum Congregatione, cui, sub nullitatis poena, exhibendum erit antequam publicentur.

REGULA III

Authenticae habeantur Indulgentiae concessae Ordinibus et Congregationibus religiosis, Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Archisodalitiis, Sodalitiis, piis Unionibus, piis Societatibus, nonnullis Ecclesiis celebrioribus, Locis piis et Obiectis devotionis, quae continentur in Summariis recognitis et approbatis a S. Congregatione Indulgentiarum, eiusque auctoritate vel venia typis editis.

REGULA IV

Non habeantur ut authenticae Indulgentiae sive generales, sive particulares, quae continentur in libris, in libellis, in summariis, in foliis, in chartulis, sive etiam in imaginibus, impressis sine approbatione auctoritatis competentis; quae approbatio concedenda erit post diligentem recognitionem et distincte exprimenda.

REGULA V

Apocryphae, vel nunc prorsus revocatae, sunt omnes Indulgentiae mille vel plurium millium annorum quocumque tempore concessae dicantur.

REGULA VI

Suspectae habeantur Indulgentiae plenariae quae asseruntur concessae recitantibus pauca dumtaxat verba: exceptis Indulgentis in articulo mortis.

REGULA VII

Reiiciendae sunt ut apocryphae Indulgentiae, quae circumferuntur in libellis, foliis seu chartulis impressis vel manuscriptis, in quibus ex levibus aut etiam superstitiosis causis et incertis revelationibus, vel sub illusoriis conditionibus promittuntur Indulgentiae et gratiae usum et modum excedentes.

REGULA VIII

Ut commentitia reiicienda sunt folia, et libelli, in quibus promittitur fidelibus unam alteramve precem recitantibus liberatio unius vel plurium animarum a Purgatorio: et Indulgentiae quae dictae promissioni adiici solent ut apocrypha habendae sunt.

REGULA IX

Apocryphae, vel saltem ut graviter suspectae, habeantur, Indulgentiae recentioris assertae concessionis, si ad inusitatum numerum annorum vel dierum producuntur.

Quas quidem regulas per me infrascriptum Cardinalem ejusdem S. Congregationis Praefectum SSmo. D. Nostro Leonis PP. XIII relatas in Audientia die 10 Augusti 1899 eadem Sanctitas Sua approbavit, mandavitque per generale Decretum publicari.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 10 Augusti 1899.

Fr. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. † S.

A. SABATUCCI ARCHIEP. ANTINOEN., *Secr.*

RESOLUCIONES DE LA S. R. U. INQUISICIÓN

A).—Circa renovationem consensus, ad hoc ut, sublato impedimento matrimonium convalidetur.

BEATISSIME PATER:

Amalia protestans non baptizata, nupsit Joanni protestanti baptizato; durante matrimonio Amalia baptizata fuit in Protestantismo et vixit cum marito per aliquod tempus. Decurso temporis ipsa certior facta est illicitos foveri amores Joannem inter et certam mulierem. Quapropter ipsi valedixit, et brevi post, a Tribunali civili obtinuit divortium *ex capite adulterii* ex parte mariti. Nunc autem Amalia postulat licentiam contrahendi secundas nuptias cum viro catholico.

Notandum quod protestantes non recognoscunt matrimonium inter baptizatum et non baptizatum, esse nullum.

Quibus positis, Archiep. N. N. ad pedes S. V. provolutus, humiliter quaerit:

¿Posita ignorantia nullitatis matrimonii *ex capite disparitatis cultus*, conversatio maritalis Amaliae cum Joanne revalidavitne matrimonium post baptismum Amaliae?

Fer. IV die 8 Maji 1899

In Congregatione Generali coram EEmis. ac RRmis. DD. Cardinalibus fidei ac morum Inquisitoribus Generalibus habita, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Praevio juramento ab Amalia in Curia N. N. praestando, quo declaret matrimonium contractum cum Joanne post baptismum ipsius Amaliae, ab iisdem, scientibus illius nullitatem, ratificatum non fuisse in loco ubi matrimonia clandestina vel mixta valida habentur, et dummodo R. P. D. Archi-

episcopus moraliter certus sit de asserta ignorantia spon-
rum circa impedimentum disparitatis cultus, detur mulieri
documentum libertatis ex capite ipsius disparitatis cultus.

Sequenti vero Fer. V die 9 ejusdem mensis et anni SSmus,
D. N. Leo Pp. XIII, per facultates Emo. Cardinali hujus Su-
premae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem
EE. ac RR. Patrum adprobare dignatus est.—I. Can. MANCI-
NI, S. R. et U. Inquis. Not.

B).—El confesor no puede hacer uso del Decreto del Santo Oficio
de 9 de Noviembre de 1898, si se trata de absolver á un Sacer-
dote de reservados al Romano Pontífice.

BEATISSIME PATER:

Sacerdos Titus, in regionem extraneam se contulit ad con-
fitendum peccatum Summo Pontifici reservatum. Porro con-
fessori declaravit: 1.º nec opera ministerii sui nec substantiam
facultatum sibi permittere iterum agrediendi inter ad reci-
piendam responsionem S. Poenitentiariae; 2.º nimis onero-
sum sibi fore ad alium confessarium se praesentare in pro-
pria regione, quod signanter voluit devitare inter adsumens.

Hisce expositis, Episcopus N. pro sua norma humiliter
a Sanctitate Vestra petit utrum supradictus casus, etiamsi
agatur de absolutione complicitis, inter eos annumerari debeat
praevisos in Decreta S. Officii diei 9 Novembris 1898 et con-
fessarius niti possit praelaudato Decreto ad absolutionem
impertiendam sine recurso ad S. Poenitentiarium nec ne.

Feria IV, die 7 Junii 1899.—In Congregationi Generali
habita ab Emis. ac Rmis. DD. Cardinalibus Generalibus In-
quisitoribus, proposito suprascripto dubio, iidem Emi. Dni.,
praehabito RR. DD. Consultorum voto, respondendum man-
darunt:

Non comprehendit:

Sequenti vero feria V, loco VI, die ? ejusdem mensis et
anni in solita audientia R. P. D. Adssessori S. O. impertita,

facta de omnibus relatione SSm. D. N. Leoni Div. Prov. PP. XIII, idem SSmus. Dñus. responsionem. Emorum PP. adprobavit.—I. Can. MANCINI, S. R. et U. *Inquisit., Notarius.*

DECLARATIONES S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE

A).—A pluribus locorum Ordinariis et Confessariis propositum est huic S. Poenitentiariae dubium:

An suspensio facultatum facta per Bullam *Quod Pontificum* editam pridie kalendas Octobris anni 1899 ratione Jubilaei, comprehendat, nulla facta exceptione, facultates in folio typis impresso, a S. Poenitentiaria Ordinariis et Confessariis concedi solitas *pro foro interno*?

Sacra Poenitentiaria, facta relatione SS. Domino Nostro Papae Leoni XIII, declarat suspensionem hanc non extendi ad poenitentes illos, qui tempore Confessionis, iudicio Ordinarii vel Confessarii, sine gravi incommodo hic et nunc ad Urbem accedere nequeunt.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 21 Decembris 1899. ALEXANDER CARCANI, S. P. *Regens.*—ALOISIUS C^{us}. MARTINI, S. P. *Secretarius.*

B).—Quaesitum est: An facultates Episcopis vel Ordinariis a S. Sede *pro foro externo* concessae suspensae sint per Bullam “*Quod Pontificum*,” tempore Jubilaei?

S. Poenitentiaria respondet: Negative. Datum Romae in S. Poenitentiaria die 26 Decembris 1899.—A. CARCANI, S. P. *Regens.*—A. CAN. MARTINI, S. P. *Secretarius.*

COLLATIO MORALIS PRO MENSE FEBRUARII

QUÆSTIO DOCTRINALIS

Utrum illi qui non acceperunt teneantur restituere.—D. Th., 2.^a 2.^{ae}, q. LXII, a. 7.

CASUS CONSCIENTIÆ

Titius parochus, cum in supremo vitæ articulo versaretur, Sempronium nepotem hæredem universorum instituit: at Catharina, Titii famula, latibulum quoddam, in quo quinque libellarum millia servabantur, offendit, et, priusquam a Sempronio scrutaretur, hilari vultu libellas assumpsit. Monasterium ingressa relatas libellas tribuit in dotem; et solemne emissa professione, dotis originem dolenter ostendit.

Quæritur 1.^{um} Adest obligatio restituendi?

2.^{um} Cui inest?

DE RE LITURGICA

Ad quos infirmos defferendum est Viaticum?

Quaenam paranda, tan in Ecclesia quam in domo infirmi? Caeremoniæ observandæ in delatione et Viatici administratione.

HERMANDAD DE SUFRAGIOS ESPIRITUALES

DEL CLERO DE LA DIÓCESIS

Ha ingresado en la Hermandad el Presbítero D. Domingo Sánchez Vicente, del obispado de Ciudad-Rodrigo.

NECROLOGÍA

Ha fallecido en su pueblo natal de Villoria, el Presbítero Dr. D. Fernando Gallego y Lavera, Coadjutor que fué de la parroquia de San Martín de Salamanca.—R. I. P.

SALAMANCA.—Imp. de Calatrava, á cargo de L. Rodríguez.—Teléfono 4